



Ioannes natione Germanus à pueris operam lite  
ris dedit, & quæ eius ingerij erat felicitas, earum  
fundamenta facile percepit. postea uero sese totum  
Theologico studio addicauit, & ut id quietius præ  
stare posset, Minoritarum ordinē suscepit. Verūm  
ibi sese non ignauiae aut otio tradidit, sed noctesq;  
diesq; aut diuinis officijs, aut sacris lectionibus in  
cubuit. hinc etiam factū ut inter doctissimos Theo  
logos relatus fuerit. Accedebat huc morum graui  
tas, & naturalis dicendi facundia. Itaq; Moguntiæ  
Ecclesiastes cōstitutus, homines officij serio admo  
nuit, atq; integritate uitæ cunctis exemplum præ  
buit. quin etiam plurimos libros scripsit, atq; suis lu  
cubrationibus cunctis doctis innotuit. Scripsit enim Commentaria in Mat  
thæum & Ioannem, annotationes in Epistolā S. Pauli ad Romanos, & in prio  
rem Ioannis. præterea Commentaria in Trenos Hieremiæ: in priorem Esdræ  
Homelias quadragesimales: in Ionam Sermones quadragesimales: Annota  
tiones in Ecclesiasten Salomonis: Expositionem integrilobi, & aliquorum  
Psalmorum enarrationes. par ratione quoq; edidit Homelias de tempore &  
sanctis: Sermones hyemales & aestivales, & sermones quadragesimales de fi  
lio prodigo. deinde examen ordinandorum, & certas precationes proposuit,  
atq; nominatos omnes libros Moguntiæ edidit.